


Cum enim Triangulum constet ex mutua trium linearum inclinatione, non potest non veritas Theorematis apparere vel ex vulgatâ lineæ rectæ definitione Archimedea, qua scimus *lineam Rectam esse minimam earum, quæ Terminos habent eosdem.* Qui enim Termini sunt unius cujuscunq; ex Trianguli tribus lateribus, ij etiam sunt reliquorum duorum, quæ tamen duo latera simul sumta, utut singula multò minora tertio, necessario illo majora sunt. Non enim ex æquo interjacent inter sua illa extrema, sed per quendam quasi ambitum. Ut in Schemate apposito Trianguli  $ABC$  latus  $AB$  majus est latere  $AC$  & latere  $BC$  seorsim sumtis: at non iisdem simul sumtis. Inter quæ enim extrema  $A$  &  $B$  latus  $AB$  directè interjacet, inter eadem & reliqua duo  $AC$  &  $BC$  ad punctum  $C$  infractæ vel inclinatæ interjacent. Hinc si ex ambitu illo suo ad directionem quandam deprimantur, hoc est, altera alteri in directum apponatur, omninò longiora erunt tertio. Sumtâ enim lineâ  $CD$  quæ æqualis sit lineæ  $AC$ , appositâq; eâ lineæ  $BC$  in directum, æquabitur utiq;  $BD$  hoc modo composita utriq;  $AC$  &  $BC$ : verum eadem composita  $BD$  superat latus  $AB$  notabili parte, nimirum lineâ  $DE$ . Unde Theorematis veritas satis est manifesta.



Latera verò cum angulis, & contra, comparantur invicem Theorematis VI. sequentibus.

*THEOR. I. Latera duo quæcunq; dicuntur Anguli ejus, quem comprehendunt, Crura: latus verò reliquum eidem Angulo oppositum dicitur Basis.*

Nominum horum ratio petita est ex figurâ crurum humani corporis, quæ & ipsa suâ divaricatione angulum comprehendunt. Si verò ipsis annumeres id spacij, quod inter pedes, de  
funda-